DE PETECHIIS IN GENERE AC DE SINGULARI CASU INTERMEDIO QUASI INTER PETECHIAS ET INTER SCORBUTUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA,
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXVI. M. OCTOBRIS A. MDCCCXXIX.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST
AUCTOR

IOANNES DAVIDES BEHAGHEL,
MOENO-FRANCOFURTANUS.

OPPONENTIBUS:

E. WEBER, MED. ET CHIR. DR.
W. BECK, MED. ET CHIR. CAND.
E. LANGE, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI, TYPIS JORDANIANIS.

Ὁ βίος βραχὺς, ἡ δὲ τέχνη μακρὴ, ὁ δὲ καιρὸς ὀξὺς, ἡ δὲ πεῖρα σφαλερὴ, ἡ δὲ κρίσις χαλεπή.

Hipp. Aphor. init.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, EXPERIENTISSIMO,

HUMANISSIMO

E. D. A. BARTELS,

MED. ET CHIR. DOCTORI, MED. PROF, P. O., INSTITUTI CLINICI MEDICI DIRECTORI, REGI A CONSILIIS MED. INTIMIS, COLLEGII MEDICO-TECHNICI PRIMARIO MEMBRO, ORD. LEONIS AUREI HASSIACI EQUITI, PLURIUM SOCIETATUM LITTERARIARUM SODALI.

NEC MINUS

VIRO

AMPLISSIMO, DOCTISSIMO,

MERITISSIMO

N. G. EICHHOFF,

PHILOSOPHIAE DOCTORI, GRAECARUM ET LATINARUM LITTERARUM PROFESSORI SUPREMO IN GYMNASIO WEILBURGENSI, MUSEI, QUOD FRANCOFURTI AD MOENUM FLORET, SODALI.

HASCE

STUDIORUM SUORUM QUALESCUNQUE

PRIMITIAS GRATA PIAQUE MENTE

D. D. D.

AUCTOR.

Prooemium.

Restitit, ut summos in Medicina et Chirurgia honores impetraturus, specimen inaugurale ad disceptandum proponerem. Multae quidem sese mihi obtulerunt scribendi materiae, et diu anceps haesi, quam tandem eligere maxime expediret. Etenim de variis artis medicae argumentis tanta dissertationum copia, ut nihil omnino novi, aut paullo gravioris momenti habuerim, quod illis adiiciendum fuisset; aliis difficilioribus elaborandis in praesenti me plane imparem sensi.

Tandem incidi in formam morbi, cuius diagnosin quidem et aetiologiam apud auctores non satis distinctam et expositam legimus, est haec: Morbus petechialis chronicus. Quod argumentum eo lubentius pertractandum suscepi, quo malum illud una quidem cum maxima ad scorbutum propensione in Nosocomio Caritatis Be-

rolinensi celeberrimo sub auspiciis Illustrissimi Bartels, praeceptoris summe venerandi, observandi opportunitate uti mihi contigit.

Itaque in hacce dissertatiuncula, praefatus quaedam de morbi historia, inprimis diagnosin et varias de aetiologia sententias, deinde prognosin et curationem morbi generaliorem recensui ac pro viribus expedire studui. Denique ad casum ipsum me converto, quem singularem egregiumque observandi raram mihi datam fuisse occasionem valde laetor.

Ac vos quidem, L. B., hasce qualescunque pagellas excipiatis omni, qua par est, observantia oro atque rogo.

Multum de petechiarum antiquitate disceptatum est, quas quidem omnium scriptorum primus Hieronymus Fracastorius 1) memoriae prodidit, quum anno MDV et MDXXVIII in Italia populares fuerunt, etsi eae in ceteris regionibus, ut Cypro et vicinis insulis familiares et diu ante ibidem cognitae fuissent. Neque ignoro, quosdam dicere, Fracastorium latius quidem et dilucidius istum morbum descripsisse, nihil tamen reperisse, quod non a vetustissimo auctore Hippocrate paucis verbis comprehensum sit. At dubitari non potest, quin Hippocrates, qui etiam minimos morbos annotaverat, ipsum utique petechiarum morbum, si fuisset, accuratius descripserit. Quam ob rem iudicandum est, petechiarum morbum antiquissimis olim temporibus non fuisse. Aspretudines enim morsibus culicum similes, de quibus ipse Hippocrates in suis de morbis popularibus atque coacarum praenotionum libris nomine κεγχρωδέων scripsit, adeo diversae a petechiis sunt, ut

1) Fracastorius de morb. contag. l. 2. cap. 6.

supervacaneum sit, ideo cum iis controversiam inire, qui istas aspretudines pro petechiis habere volunt.

Postea saepenumero omnibus temporibus petechiae observatae atque optime descriptae sunt. De historia petechiarum antiqua quum nihil habeam, quod Burserii enumerationibus adiiciam, pauca tantummodo afferam.

Nostris temporibus rarius quidem obvenit morbus petechialis epidemicus; sporadicum autem observare saepissime licet.

Verumtamen tempore, quo Germani cum Francogallis bellum gererent, proptereaque congregati ingentes militum exercitus fuissent, variaeque hominum gentes, quae in auxilium venerant, maximam Germaniae partem militibus implevissent, idem morbus illis temporibus et aliquot deinde adhuc post statutam pacem annis percommunis inter nos exstitit; maxime tum saevierunt petechiae contagiosae. Insuper etiam ante nos medici, qui castra secuti sunt, semper a petechiarum morbo milites, quotiescunque bellum erat, maxime offensos fuisse scripserunt 1). 2). Quare etiam istud vitii genus inter militum castrorumque morbos iure potest numerari.

Jemina observationes de effectu contagii petechia-

---

1) Johannes Friederich Glaser. Nützliches Verhalten bey der jetzo in Deutschland regierenden Fleckenfieber - Seuche, Hildburghausen 1758.

2) Carol. Strackius de morbo c. petechiis Carlsr. 1796. 8.

lis evulgavit Bambergae anno MDCCCXIV. Quo tempore etiam Becker de cognoscendis et curandis petechiis scripsit. Biennio ante Wedemeyer de petechiis dissertationem Goettingae edidit.

Ante decem abhinc annos Conradi petechias saepissime animadvertit Heidelbergae.

Quinte ante annos Illustrissimum Bartels petechias secundarias observasse in eius programmate „Observata „quaedam de febre miliari idionosematica, et de pete„chiis citra typhum. Marburgi. 1824.“ legimus.

Atqui haec de morbi historia sufficiant. Liceat nunc arduam explicare quaestionem, quid de ipso morbo sit censendum.

Petechiae, peticulae, lenticulae, puncticula (Fracastorii), pestichiae (P. Salii Diversi, de febr. pestilent. cap. XIV.), purpura (Gallorum; J. Coyttari Thaerei, de febre purpura epidemica; Sagarii system. morbor. symptomat. Cl. X. Ord. 1. gen. 4.), petechiarum morbus, morbus petechialis, peticularis, morbus cum petechiis (Strackii), Peteschen, Petechien, Fleckenkrankheit.

Petechiae sunt maculae, quae in cute summa sparsim apparent rubro plerumque colore, interdum subrubro, roseo, purpureo, mox bruneo, violaceo, livido aut nigricanti, mox denique pallido, subflavo, viridi

praeditae; interdum etiam sunt versicolores, ita ut cutis marmorata videatur; saepe etiam vice versa colorem mutant.

Ad magnitudinem quod attinet, modo parva punctula referunt, modo lenticulis aut pulicum morsibus, stigmate tamen deficiente in centro, aut potius guttulis sanguineis valde similes.

Sin formam respicimus, plerumque fere rotundae, vel inaequales, planae apparent, nec tactu distingui possunt, nec premente digito evanescunt, nulloque modo exstant, neque epidermidem attollunt, exceptis quibusdam rarissimis casibus, in quibus non nihil supra cutem eminere visae sunt 1).

Utplurimum discretae sunt, interdum confluunt, formantque vibices, quod in ventre praecipue et scapulis fieri videtur. Aliae comparent radiatae, aliae diffusae.

Multae vero ac interdum innumerae vel paucae sunt petechiae, eaeque nunc post primos iam dies evanescunt nec denuo redeunt; nonnunquam vero tertia

---

1) Peticulas benignas rosei coloris, aliquantum exstantes sive prominentes se vidisse narrat in constitut. epidem. ann. 1591. Tridenti exorta medicus praestantissimus Octavianus Roboretus (De peticul. febr. ann. 1591. public. vagant. cap. XI.) itemque in Vindobonnensi peticulari febre ann. 1758. Cl. Hasenoehrlius, Archiater Magni Ducis Etruriae, et ann. 1771 et 1772 in alia constitutione Sagarius (System. morb. cl. X. ord. 1. exanth. conthag. gen. IV.) Mihi quoque petechiae elevatae obvenerunt. cf. historiam morbi casus infra allatam.

adeo vice revertuntur 1). In aliis per totum morbi decursum florent, in aliis post mortem adeo copiosius erumpunt, atque in quibusdam petechiae, morbo iam penitus devicto, in cute persistebant atque nunc ex illa disparere, nunc sine febris indicio revertebantur. Alii item cum multis petechiis non multum aegrotant et erecti obambulant, alii cum paucis moriuntur. Nec non petechias sine ulla functionum laesione praecedente absque ulla corporis infirmitate se vidisse Petrus Frankius et Strackius narrant.

Stadia certa petechiae chronicae non habent. Quarum quidem eruptioni nunc prodromi nunc nulli antecedunt. Atque signa morbi imminentis universim haec sunt: capitis gravitas aut dolor obtusus, modo fixus, modo vagus, interdum etiam ad collum extensus, rheumatico similis; interdum plus minusve lumbos atque articulos, sed erratice discrucians; ciborum fastidium sive appetitus imminutio; imbecillitas, gravitas atque lassitudo universi corporis membrorumque, torpor insolitus, morositas, somnolentia, agrypnia, anxietas, nausea, non raro vomituritio; modo alvi obstructio, modo laxitas; somni interrupti ac perturbati et interdum sensus quidam molestus, qualis membris contusis aut labore fessis esse solet. Nonnullis subinde circa lumbos horror, sed levis et citissime desinens accedit.

Qui vero primarum viarum saburra aliqua labo-

---

1) Cf. J. P. Frankium. De curandis hominum morbis epitome. Lib. III.

rant, iis etiam os amarescit et non modo appetitus deiicitur, verum plane abolетur. Interdum tanta est subita virium sine evidenti causa prostratio, ut nec pedibus stare nec incedere nec erecti consistere commode queant, ac facile animo delinquantur. Verum id in graviori maligniorique casu tantum evenit, ubi contagio morbus suspicitur. Fereque omnes aliquod in rebus sex non naturalibus erratum accusare solent, inprimis cutaneam exspirationem suppressam, aut immodicum corporis exercitium, ex quo male habere inceperint.

Serius ocius petechiae erumpunt. Plerumque apparent in collo, pectore, dorso, brachiis, cruribus, locis scilicet cordi propioribus, aut quibus maiora vasa decurrunt, maxime vero a flexura cubiti ad carpum usque. Atque si prope internam carpi partem petechiae non sint, harum etiam nullae in cetero corpore deprehenduntur 1). Saepe etiam universum corpus ad caput usque occupant et infra mentum et retro auriculas sunt. Nonnunquam, ubi enim harum quamplurimae sunt, etiam in facie, maxime ex oculorum palpebris erumpunt. Bis tantum in suis aegris eas in natibus et cruribus obortas offendit Pinarolius 2). In puerperis femora primum, nates, inguina, abdomenque,

---

1) Cf. Strackium l. c.

2) Targioni Raccolt. d'Opusculi medico-practic. Vol. VIII. Lettere intorno l'epidemia del 1783. p. 260.

dein pectus et brachia eis occupari, ordine prope inverso, quam in aliis fieri solet, auctor est Sagarius 1).

Deinde omnia symptomata modo ingravescunt, modo imminuuntur. Saepissime posteriori morbi decursu petechiis chronicis febris accedit, extremae corporis partes inalgescunt; retrahuntur oculi, iidemque tristes fiunt; nasus acuminatur et oris labia livescunt; praecordia angustiis premuntur; pallescit universum corpus, ab eodemque sudor frigidus defluit atque aeger incerto temporis termino serius ocius sphacelosus exstinguitur. Atque qui hoc morbo iugulantur, omnes ista ratione pereunt.

Quibus vero secunda valetudo contingit, hi post petechias eruptas modo graviter audiunt, modo neque surdi neque soporosi fiunt, et nihilominus convalescunt. Postquam per incertum tempus soporosi sunt, rursus quemadmodum sani, etsi non diu dormiant, tamen somnum capiunt et rectius simul audiunt; alii vero diutius surdi manent. Atque alii tument facie et manibus, veluti aqua intra cutem accumulata; alii non tument; alii dolores rheumaticos habent acutos; alii cibos non appetunt; alii contra maxime esuriunt et cibos facile ferunt. Itaque alii citius, alii serius convalescunt, prout sive magis sive minus aegrotaverint, sive recte sive adverse curati fuerint. Postremo aegri, cum morbus superatus est, maxime imbecilli diu decumbunt, neque possunt corpus regere. Atque tali ratione convalescunt, qui ab isto morbo eveniunt.

1) L. c. cl. X. ord. 1. gen. 4. spec. 4.

Quemadmodum cetera exanthemata, ita etiam petechiae in primarias et secundarias dividi possunt, quamquam complures recentissimi scriptores, uti Cullenius 1), Macbridius 2), Sellius 3) et Raimannus 4), primarias omnino negant. Argumenta, quibus petechiae primariae defendi possunt, haecce: petechiae, si epidemicae occurrunt, non rara solitariae vel sine febre vel sine ullo alio morbo, a quo pendere possint, vagari solent. Atque maximi momenti est casus noster, quem infra descripsimus, ubi petechiarum eruptio sine febre ac sine ullis alius morbi symptomatibus consecuta est. Petechiae secundariae et criticae et symptomaticae esse possunt.

Porro petechiae dividuntur in sporadicas, quae quidem et antiquissimis et omnibus nostri aevi temporibus febre carentes aut coniunctae cum febre cuiuslibet generis observantur, — epidemicas, quae saepe variant pro temporum, regionum, domiciliorum hominum medicaminumque ratione et saepius malignae sunt, — endemicas; atque hae, quamquam valde raro, tamen observantur; e. g. in ergastulo Berolinensi, quod vulgo „Ochsenkopf" vocant, petechias chronicas omnibus temporibus animadverti posse Ill. Bartels humanissime ac libentissime mecum communi-

---

1) Gen. morb. ord. III.
2) Introduct. method. in theor. et prax. T. II. cap. XI.
3) Clin. med.
4) Handbuch der speciellen Pathologie und Therapie. Bd. 2.

cavit. Divisio petechiarum in benignas atque ma lignas minoris est momenti, nisi id simul dispicia mus, contagiosae sint necne. Atque contagiosas observarunt ac descripserunt Fracastorius 1), Ludovici 2), Burserius 3), Roboretius 4), Pinarolius 5) multique alii. —

Dissentiunt auctores de petechiarum origine atque indole. Qui enim semper in petechiis sanguinem liquari ac dissolvi opinantur, maculas petechiales pro tot parvis ecchymosibus considerant, et tanquam guttulas sanguinis plus minus corrupti ac liquati sub epidermide effusas habent. Quae tamen res aliis aliter omnino videtur. His enim petechiae nihil aliud sunt, nisi exiguae inflammationes, facile ad gangraenam tendentes. „Fateor equidem," inquit Burserius 6), „peticulas et cum ecchymosibus et cum inflammatione „similitudinem aliquam prae se ferre; sed non ea est, „quae communem earum naturam ostendit." Nihil autem certius de nostro exanthemate afferri potest, nisi maculas, epidermidi subditas, esse ecchymoses parvas et stagnantis ibidem cruoris guttulas. Quemadmo dum enim proboscide pulicis, vasculo laeso, macula sub epidermide exoritur, ita in morbo nostro citra laesionem guttula cruoris per vascula cutanea, infirmius

1) L. c.
2) Adversaria med. pract. Vol. I. P. I. p. 36.
3) Instit. med. pract. Vol. II.
4) L. c.
5) L. c.
6) L. c. pag. 392.

sanguini resistentia, vicinam in telam cellulosam transsudat. Unde fit, ut exanthema tot ac tam diversas formas referat.

Inter causas varia secundum optimos auctores recensenda sunt: austrina aëris constitutio, calida nimirum et humida, venti meridionales, character epidemicus, vitae vis minima, vasculorum vis diminuta, labes quasi paralytica, acredo quaedam sanguinis, paludes aquaeque stagnantes et corruptae, [aut locustis iniectis contaminatae, inundationes, stagna, fossae aliaque aquarum receptacula exsiccata et fermentantia. Praeterea causis adnumerari oportet repentinam halituum exitialium e specubus aliisque terrae latibulis eruptionem, aërem impurum, mephiticum nosocomiorum, navium, carcerum, ergastulorum non satis recentatum ac ventilatum, diutinam moram aut familiaritatem cum iis, qui petechiis laborant; nec minus prava alimenta, aut cibos potusque non idoneos, diaetam irregularem, intemperantiam, immunditiem, qua de causa egenos maxime adoriuntur; denique habitum corporis laxum, infirmum, moerorem, vigilias laboresque immodicos. —

Raro quidem occurrit hic morbus. Temporum vero constitutionumque epidemicarum varia ratione alii magis, alii minus, in eundem incidere ac vitae periculum subire videntur.

Nec minus interest, qualis aetas, vitae ratio, sexus. Infantes, iuvenes virginesque ac mulieres nec non senes morbo maxime affici videntur. Morbo sporadico magis pauperes quam divites corripi solent. Hoffman-

nus 1) tamen iuvenes et viros maxime morbo patere, mares gravius feminis laborare vidit, salvis quidem infantibus nec minus pueris.

Morbum periculosum esse ac saepe letiferum petechias chronicas medici non ignorant. Attamen benignae minus periculi afferunt, quam malignae, ut per se cuique patet. Plerumque discrimine vacant, quae discretae, circumscriptae lataeque sunt, ordinatimque in superioribus primum partibus, deinde sensim ad plantas usque pedum efflorescunt, et laete rubent, et sex vel octo saltem dies exstant, et demum paullatim pallent, flavent lenteque evanescunt 2). Id praesertim in mitiori morbo et minori humorum labe evenit, atque ubi vitae vires magis vigent et valent. Contra diffusae Strackio 3) damnantur, utpote perniciosae. Prae aliis vero periclitantur, quibus post petechiarum eruptionem febris supervenit; nam haec graviora symptomata afferre solet.

Quo copiosiores confertioresque prodeunt, vulgo peiorem morbum indicare creduntur. Sola tamen copia ac frequentia, aut raritas et exiguitas aut parcitas nihil certi continet, nisi ad reliqua signa respiciatur. Valde timendae sunt, si iusto citius aufugiant, aut repente introvertantur, quod testantur Fracastorius 4), Forestius 5), Diemerbroeckius 6), Platnerus 7), Ludwi-

1) De feb. sect. I. cap. X. obs. 1.
2) Burserius L. c. pag. 375.
3) L. c.
5) L. c.
4) L. c.
6) De Pest. Lib. IV. aegr. 41.
7) De febr. epidem. cap. XI.

gus 1) aliique. Scire autem convenit, interdum sine periculo et noxa petechias diffugere aut introverti; quando nimirum diarrhoea, aut urinae copia, aut sudor earum defectionem supplent 2). Etiam color earum observationem nostram meretur. Lividae, plumbeae, fuscae, nigrae aut ex nigro virescentes corruptionis aut sphacelismi saepe signum praebent. Color quoque valde puniceus suspectus est Fracastorio 3). Si cum iis vibices nigricantes aut liventes concurrant, exitium significare, nec iniuria 4), dicuntur.

Inter notas periculi et aliquando etiam futurae mortis universim numerantur: summa virium defectio, sitis aut nulla, aut non explebilis, lingua arida, nigra, scissa, difficilis eius emissio; respiratio anhelosa, frequens, inaequalis; deglutitio difficilis; visus obscuratio; oculi pulverulenti; facies ex atro rubra, aut livida, aut cadaveri similis; sudor frigidus ac viscidus; urina tenuis, cruda; abdomen tumidum ac distentum cum alvo fluente et liquidis, foetidissimis deiectionibus; pulsus parvus, inaequalis, debilis, tardus, intermittens; tendinum et musculorum subsultus; vigiliae pertinacissimae aut sopores lethargici aut comatosi; ac demum

---

1) Instit. medic.

2) Burserius l. c. p. 377.

3) L. c.

Duplanilius in not. ad Buchan. med. domestic. T. 2. p. 17.

nervorum distentiones, vicini interitus praenuntii 1). Urinae quoque suppressio permanens, inprimis ex secretionis defectu, Fracastorio lethalis habetur. Quo plura ex his, aut graviora superveniunt symptomata, eo certior vitae periclitatio, aut mors, et contra 2).

Nulli quidem mors parcere visa est. De constitutione epidemica idem valet, quod de aliis epidemiis. Haemorrhagiae immodicae apud plerosque auctores male audiunt. Quando enim ex nimia sanguinis tenuitate et liquatione petechiae oriuntur, plerumque letiferae sunt. Neque vero signis, quae universim salutaria habentur, confidendum esse, ut omnino de vita aegrotantis nihil timeamus, iam Burserius optime monet. „Neque enim raro," inquit ille medicorum praestantissimus ac longe peritissimus, „rerum facies repente mutatur, et ad exitium, quod abesse videatur, „contenditur." 3).

Meliorem admittunt prognosin haec: nitor oculorum naturalis, pulsus elatus, mollis, surditas, praesertim circa statum, et quies aliqua subinde capta 4).

---

1) Fracastorius l. c.
Hoffmannus l. c. Cap. XI. §. 5.
Boboretus l. c. cap. XVII.
Buchanii Med. domest. Tom II. chap. 9. p. 179. ed. gallic
Ramazzini Dissert. de Constit. ann. 1692. 93. 95.

2) Fracastorius l. c.
Buchan. l. c.

3) L. c. pag. 381.

4) Trollii Lettere intorno l'epidemia del 1783. Vid. Raccolta d'Opuscoli Medico — Pratici Vol. VIII.

Respiratio item facilis et libera, moderata ventris laxatio cum miti calore et blanda diaphoresi bene augurantur 1).

Atque medendi indicationes prorsus sunt eaedem in petechiis, quae in aliorum exanthematum curatione. Naturae motus, quo se liberare a noxiis nititur, si sufficiens videatur, neque excitandus neque coërcendus est. Contra, si deficiat, adiuvari eum oportet; si excedat, prudenter inhiberi. Atque tota cura ante omnia eo intendenda est, ut causas, quibus ortae sunt petechiae, removeamus ac prohibeamus. Ubi igitur petechiae regulares minusque complicatae, ubi, paucis ut dicam verbis, benignae sunt, medicus, qui naturae minister methodum exspectandi sciteque cunctandi exsequitur, magis consulet aegro, quam qui naturae imperare velit 2). Experientia enim saepissime demonstravit, petechiis nullo adhibito medicamento valetudinem secundam suapte rediisse. Aegros tantum hortari oportet, ut vitia diaetetica, cibos dyspepticos immunditiemque evitent. Praeter haec serum lactis bibere et balnea calida adhibere optimam opem afferunt.

Frequentissime cum febre gastrica petechiae incedunt; quam quidem ob causam mox emetica sub ipso morbi initio nec minus purgantia in usum vocamus. Quae ultima interdum ob singularem intestinorum

1) Buchan L. c.
2) Burserius L. c. pag. 393.

torporem paulo fortiora eligi oportet, ac plurimum ex refractis tartari stibiati dosibus expectari potest 1).

In petechiis gastrico-nervosam comitantibus, institutis iam necessariis evacuationibus, roborantia et excitantia tum interna tum externa adhibenda erunt, e. g. vinum, extractum corticis chinae, serpentariae et valerianae radix, camphora, moschus, vesicantia etc. pro diversis morbi stadiis. Maximamque praebent utilitatem acida mineralia, acidum sulphuricum, muriaticum, nitricum, liquor ammonii pyro-oleosi, succinici, radix ipecacuanhae, castoreum etc. Ubi diarrhoea symptomatica, viribus valde inimica, comparet, cortex peruvianus cum opio iunctus indicatur 2). Gangraenae, si quando obvenit, inunctionibus linimenti volatilis et remediorum similium subveniatur nec minus lavacris e spirituosis, e. g. spiritu serpylli, vino camphorato; praeterea partes affectae laneo camphora infecto fricantur eodemque involvantur. Nequaquam praetermittenda sunt balnea e decoctis herbarum amararum; denique balnea martialia finem curationi imponant.

In petechiis cum febre inflammatoria iunctis apparatus adhibeatur antiphlogisticus.

Petechiae, cum symptomaticae morbos comitantur, quod accurate eruendum est, ad naturam morbi primitivi curatio adaptetur.

---

1) I. P. Frank l. c.
2) Burserius I. c.

Historia morbi.

Godofredus Landefeldt, mercenarius, annos quadraginta quinque natus, temperamenti cholerico-sanguinei, constitutionis infirmioris, inde a primis aetatis annis, si morbos, qui infantiam aggredi solent, excipiamus, optima quidem gavisus est valetudine. Qui quum per plures iam annos in cella subterranea vitam degeret, mercesque admodum parca esset, ita ut paupertatis miseriis coactus tantum tenui ac pravo alimento uti posset, quod non aptum erat ad corpus, laboribus gravissimis confectum, bene nutriendum; mox viribus defectus est, et languescere incepit. A febre intermittente mense Aprilis huius anni affectus mox apta medica curatione sine ullo secundario malo liberatus est. Non multo vero post, mensis scilicet Maii praeteriti initio, aegrotus exanthema rubrum, uti nunc quoque exstat, quodque accuratius ac fusius infra describemus, in corpore suo efflorescere animadvertit; quod quidem, quum prorsus molestias secum duceret nullas, ab aegro nullius habebatur momenti; at exitus morbi infelicissimus aliud edocuit. Exanthemati illi prodromi nulli, uti aeger affert, antecesserunt, e. g. ferbis aliaque eius generis symptomata, quae quidem plurimis in casibus efflorescentias praenuntiare solent. Maculae initio parvae, mox tamen maiores exstiterunt, languor ac macies totius corporis accessit, atque in dies vires aegroti imminutae, ita ut ultimo tempore e lecto surgere nequiret. Simul doloribus acerbissimis

membra affecta sunt, maxime extremitates inferiores. Quibus affectionibus valde contentus quum aegrotus in labore se exercere non posset, merces atque alimenta tenuiora fierent, de valetudine metuens medicorum inquirebat auxilium atque in nosocomium Caritatis receptus est. Die, quo aegrotus in curationem venit, maculae cutis effloruerunt in collo, pectore inque cruribus praecipue lateris sinistri. Ad colorem quod attinet, illae quidem colli purpureae aeque atque eae pectoris; illae vero crurum bruneae, violaceae, pallidae aut potius versicolores, ita ut cutis marmorata videatur. Si ad magnitudinem spectamus, eae colli parva representant punctula, quae tantummodo, si a latere cutem intuearis, deteguntur et culicum morsibus, deficiente tamen in centro stigmate, ut mihi quidem videtur, simillimae; eae pectoris sanguinis guttulis, eae vero crurum atramento ex nigro pallido proxime veniunt. Sin formam respicimus, eae ad collum rotundae, planae, oculis nostris sese ostendunt, nec tactu distinguuntur, neque premente digito evanescunt, illae pectoris quoque rotundam habent formam, attamen non sunt planae, sed valde, quod rarissime tantummodo contingit, elevatae, ita ut tactu percipi queant; quas quidem quoque a Roboreto 1) nec non Hasenoehrlio 2) in constitutione peticulari epidemica observatas esse apud celeberrimum Joannem

1) L. c.
2) Wassenbergii opusc. min. med. et dissert. fascic. I.

Petrum Frankium 1) legimus; illae crurum ita diffluunt, ut figuram amittant regularem, ceterum planae seu potius impressae. Atque maculae in collo nec non in pectore discretae, perfectumque efficiunt circulum eamque ob rem circumscriptae vocari possunt; illae vero crurum confluunt ac formant quasi vibices, explanatio ita se habet, veluti atramentum, ut ait Strackius 2), linteo adspersum diffluit. Ceterae corporis partes a maculis liberae, cutis ex albo flava, cachectica; organa sensus excepta surditate, qua aeger iam per plures annos laboraverat, minime perturbata; febris omnino deest atque eruptio sine ulla febri, sicuti iam supra monuimus, subsecuta est; symptomata concomitantia haec enumeranda sunt: appetitus ciborum et potus deest, imbecillitas, gravitas ac lassitudo totius corporis, morositas, somnolentia, anxietas, alvi obstructio, urina pallida et parca; facies pallida, subflava; oculi languentes, minus hilares; lingua pallida, leviter obducta muco tenui albido in apice, in radice ex albido flavo spissiori; gingiva livida, tacta, at nunquam sponte, facile sanguinem mittens; os foetidum; respiratio brevis; cephalalgia levior; pulsus parvus, infirmus, facile comprimendus, fere tardus. Accessit diebus posterioribus dolorum rheumaticorum exacerbatio praecipue in extremitatum latere sinistro.

Symptomata, quae allata sunt, quum characterem morbi adynamicum et maximam ad scorbutum propen-

1) De curand. homin. morb. lib. III.

2) Cf. Montecchiana Dall 'Armi, sagg. di med. prat. P. I.

sionem etiam atque etiam declararent, remedia adhibita sunt, quae fibrarum laxitatem in genere, maxime autem illam arteriarum tollunt, quae contentiores atque magis energicas eas reddunt, quaeque plasticam sanguinis vim valde imminutam excitant atque validiorem faciunt.

Quibus igitur medendi indicationibus ut satisfieret, adhibita sunt acida mineralia aegroque haec data:

R. Decoct. alth. unc. sex.
Acid. sulphur. dilut. drachm. duas.
Syrup. alth. unc. unam.
M. D. S. Omni bihorio cochlear maius sumatur.

Praeterea praescriptum est lavacrum roborans e spiritu serpylli, spir. formicarum et spir. saponato.

Haec remedia primis octo diebus optimum habebant successum; maculae parvae in pectore et collo minuebantur, maiores in cruribus pallidiores fiebant, et sanguis effusus resorberi videbatur. Nec non vires meliori diaetetico regimine adhibito validiores fiebant et dolores vehementissimi remissionem faciebant.

Mox autem, nono circiter die, novae exstiterunt maculae sanguineae atque vibices. Aeger denuo acerbissimos conquerebatur in cruribus dolores, crura intumescebant et tacta admodum dolebant, nec non vires in dies deficiebant. Aegroto nunc datum est Acidum nitricum cum Decocto altheae; quam vero praescriptionem quum eventus, qui sperare debebat, non subsequutus esset, adhibitum est Decoctum chinae fortius cum acido muriatico; praeterea aeger

balneis usus est aromaticis; lavacra crurum spirituosa continuata.

Die decimo octavo post aegri receptionem febris ad symptomata, quae modo retuli, accedebat; pulsus acceleratus, celer, debilis; mentis potestas, si etiam non plane omissa, tamen admodum obnubilata, et per noctem aeger deliriis affectus est musitantibus, virium prostratio atque deiectio aucta, cutis aeque ac lingua arida, respiratio stertens, valde accelerata, brevissima. Febris characterem nervoso-putridum induit, maculae totius corporis, praecipue vero illae crurum, numero et magnitudine sunt auctae nec non colorem praebent lividum. Aeger semper acerbissimos in cruribus inflammatione intumescentibus dolores queritur. Praescripta est igitur camphora soluta in spiritu sulphurico-aethereo; praeterea in adhibendis acidis mineralibus, china aeque ac balneis, quae quidem singulis diebus adhibita sunt, aromaticis, perseveratum est.

At omnia haec remedia, quamquam accuratissime ac diligentissime in usum vocata, non potuerunt, quin virium prostratio semper accresceret; deliria nocturna augebantur, febris quotidie magis magisque crescebat, pulsus fiebat frequentissimus, parvus, valde debilis; color macularum in cruribus lividus iamiam in nigrum mutatus est, in ipsis animadvertuntur vesiculae, quae quidem, paulo postquam exortae sunt, rumpuntur atque ichorem fuscum foetidum effundunt. Ut gangraenae tegumentorum cutis in cruribus talibus symptomatibus incedenti praecaveretur, utque prohiberetur,

quo minus gangraena, iam singulis locis exorta, ulterius serperet ac cresceret, iam fomenta e solutione calcariae oxymuriaticae parata in cruribus posita sunt; quae quidem omnia, proh dolor! exstinctionem crescentem et gangraenosam exulcerationem avertere non potuerunt. Symptomata febris putridae magis magisque elucebant; odorem valde foetidum aeger sparsit, cutis aridissima, calor intensus et mordax, talis utpote, qui sub vola manus tangentis increscit, sensumque ingratissimum relinquit. Aeger plane fere sibi non conscius iacuit, blandis laborans deliriis. Reliqua tandem colliquationis septicae signa accesserunt: labe crescente sudores profusi, viscidi, intolerabilem putorem spirantes; alvi fluxus prorumpit largus et creber; materies liquidae, discolores, nigrescentes et graveolentes nescio aegro secedunt; urina turbida, fusca; putridus et fere cadaverosus aëris aegrum circumambientis foetor; lingua sicca, fusca; dentes sordescunt; pulsus debiles, parvi, myuri, frequentissimi ita qui vix numerari possint; delirium cum stupore alternat; iam morbo ad finem vergente calor mordax in cadaverosum vertitur frigus, lentescente pulsuum velocitate. Atque sub his symptomatibus mali ferocia aegrum die vicesimo post receptionem enecuit. —

Dissectio cadaveris.

Cranio aperto membranisque omnino sanis detractis praeter exiguas lymphaticas exsudationes, cere-

brum passim tegentes; — cerebrum ipsum aeque ac totum cerebellum omnino integra apparuerunt.

Cavitate thoracis aperta in sinistra parte pulmo cum pleura costarum intime coaluerat; pulmones ipsi sanguine nimis impleti erant; in utroque thoracis cavo et etiam in pericardio magna seri pariter sanguinolenti copia continuerat.

Abdominis integumentis incisis, visceribusque undique patefactis, peritonaeum, omenta, hepar, lien, intestina atque ventriculus sana omnia inventa sunt. —

Denique non praetereundum est, gangraenam in crure lateris sinistri, quam antea iam in morbi decursu commemoravimus, maxime telam cellulosam tenuisse, ita ut cutis tegumenta quasi excavata apparerent, locis, qui vibicibus carebant, plane intcgris.

VITA
EX DECRETO
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS BEROLINENSIS
ADIECTA.

Equidem Joannes Davides Behaghel, confessioni addictus evangelicae, Francofurti ad Moenum natus sum anno MDCCCIV die XXIX mens. Augusti, patre carissimo I. M. Behaghel, matre dilectissima M. E, e gente Gross, quos parentes superstites intimo auimo per divinam gratiam veneror atque laetor.

Primis autem litterarum elementis usque ad annum aetatis decimum quartum scholis partim publicis partim privatis instructus, Gymnasium in urbe patria, rectore beato Matthiae tunc florentissimum, tres per annos frequentavi. Deinde Gymnasium celeberrimum Weilburgense adii, ibique praecipue auspiciis viri amplissimi Professoris supremi Cl. Eichhoff, quem, partim propter praecepta mecum communicata, partim propter egregiam erga me benevolentiam atque favorem ad cineres usque summa, qua par est, pietate et reverentia veneror, iis litteris imbutus sum, quae ad studia academica viam muniunt.

Cursu gymuasiali rite absoluto, in almam Rhenanam universitatem me contuli ibique idibus Octobris anni MDCCCXXIV. Rectore Magnifico viro Illustrissimo A. G. a Schlegel, Decano Cl. Harless civium academicorum numero adscriptus, per triennium virorum huius academiae Illustrissimorum praeceptis frui mihi contigit.

Cl. a Münchow physicen experimentalem, Cl. Bischof chemiam cum theoreticam tum practicam, Cl. Goldfuss zoologiam nec non zootomiam mihi tradiderunt. Ill. Ill. Nees ab Esenbeck sen. et iun. de botanice generali et pharmaceutica, Cl. Noeggerath de mineralogia, Cl. Brandis de Psychologia disserentes audivi. Cl. Weber osteologiam, neurologiam nec non anatomiam comparatam, Cl. Mayer anatomiam universam ac specialem nervi sympathici sensusque organorum nec non artem obstetriciam me docuerunt, qui viri anatomes Cl. professores etiam in cadaveribus dissecandis duces mihi fuerunt. Ill. Nasse de authropologia, Ill. Harless de diaetetice, hygieine nec non de pathologia et therapia generali, Ill. a Walther de chirurgia, morbis oculi et institutionibus axiurgicis audivi.

Bonna relicta in universitatem Berolinensem ornatissimam profectus, ab Ill. Bethmann — Hollweg t. t. Rectore magnifico civibus academicis adscriptus et nomen apud Ill. Rudolphi, t. t. facultatis medicae Decanum, quam maxime spectabilem, professus sum.

Hic mihi Ill. Osann materiam medicam, Ill Horn pathologiam et therapiam specialem nec non doctrinam de morbis syphiliticis tradiderunt. Cl. Sehlemm in operationibus exercendis me instruxit. Clinicis per semestria tria gravisus sum medicis duce Ill. Bartels, t. t. Decani quam maxime spectabilis, cuius erga me benevolentiam nunquam obliviscar, chirurgicis autem et ophthalmiatricis Ill. de Graefe.

His igitur Viris Ornatissimis, quas fieri potest maximas habeo gratias, ac tantae humanitatis, qua me instituerunt docueruntque, haud immeror unquam.

Iam vero tentaminibus nec non examine rigoroso coram gratiosi medicorum ordine absolutis, spero, fore, ut dissertatione thesibusque palam defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Urina ad diagnosin multum confert.

II.

Scirrhus ex inflammatione.

III.

Iris et in contractione et in dilatatione pupillae activa est.

IV.

Aneurysma verum non existit.